



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

Tanner, Adam

Ingolstadii, 1626

Dubium I. Quid nomine Attributi diuini intelligatur; & quænam sit
attributorum diuinorum partitio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

QVÆSTIO II.

De Attributis diuinis in genere.

S. Thomas 1. p. q. 2. & seqq.

Absoluetur hac questio septem dubijs. I. Quid nomine attributi diuini intelligatur; & quæ sit attributorum diuinorum partitio. II. An diuina attributa tam ab Essentia diuina, quam inter se, à parte rei distinguantur. III. An attributa diuina inter se, & ab Essentia distinguantur ratione, ac etiam virtualiter; & quo fundamento. IV. Vtrum perfectiones diuinae distinguantur solum per respectum ad creaturas, ac ratione nostra; an etiam ratione siue intellectione Dei, & beatorum. V. An diuina attributa positiua sint de ratione quidditate, & conceptu diuinae Essentia. VI. Vtrum essentia diuina sit de ratione attributorum; & hæc omnia, & singula de ratione, & quidditate singulorum. VII. An, & quæ ratione attributa tam de diuina Essentia, quam hæc de illis, atq. etiam illa de se mutuo predicari possint in abstracto.

DVBIUM I.

Quid nomine attributi diuini proprie intelligatur; & quæ sit generatim diuinorum attributorum partitio.

Ad S. Thom. 1. p. initium q. 3. & ad q. 13.

Disputat quidem S. Thomas de diuinis nominibus infra q. 13. sed de rebus ipsis per nomina significatis, hoc est, de perfectionibus, & attributis diuinis in genere, in sua summa ex instituto non tractat; etsi sparsim quædam attingat ad eam rem spectantia, sed res ipsa exigit, vt priusquam ad diuina attributa sigillatim explicanda progrediamur, ea quæ generatim omnibus communia sunt; eum nec per se admodum liquida, nec indigna scitu sint, exponamus.

Et quod ad nomen attinet, etsi quidem ex communi notione nominis, attributum diuinum generatim significet quidquid Deo attribui, ac de eo verè predicari potest: vt rectè notauit Molina 1. p. q. 2. 8. a. 2. disp. 2. quo modo etiam Ockam quodlib. 3. q. 2. & Gabriel in 1. d. 2. q. 2. dicunt, attributa vocari nomina diuina, de quibus S. Dionysius celebrem tractatum edidit: qua ratione predicata etiam essentialia comprehendit; v.g. esse substantiam, vitâ, spiritû; vt docent etiam Egidius in 1. d. 6. q. 1. & Petrus de Alliaco q. 6. art. 2. proprie tamè & communi loquendi vsu, attributa diuina contra perfectiones, & predicata, quæ formaliter, ac nostro etiam concipiendi modo, ipsâ essentiâ, seu ratione aliquâ essentia diuina significant, distinguuntur; ita vt diuinâ essentiam qua talis est, & secundum conceptû essentia quasi supponant, eidemq. ratione nostrâ, veluti quædâ proprietates, seu affectiones superueniant, vt ex communi rectè notauit Molina cit. q. 2. 8. art. 2. disp. 2. & Vasquez ibidem disp. 116. c. 1.

Qua ipsa tamen notione, non eodè modo semper, sed tribus præcipuè modis vsurpari attributi nomen solet, vt videre est apud citatos.

Primò, generatim, vt significat quidquid de Deo per modum alicuius predicati, ipsi naturæ diuinæ secundum ratione nostrâ quasi superadditi, præ-

dicari potest; quo modo omnia predicata diuina, nõ solû absoluta, sed etiâ relatiua, itemq. tam positiua, quam negatiua; atque etiâ ipsæ denominationes extrinsecæ attributa Dei dicuntur.

Secundò strictè, prout ea solûm predicata ratione nostra diuinæ essentia quasi superaddita complectitur, quæ Deo ipsi secundû se, vt vnus est, conueniunt; quo pacto excluduntur relatiua; nimirum realia, & ad intra.

Tertiò strictissimè, prout significat ea solû predicata absoluta (hoc est, quæ Deo, vt secundû essentia vnus est, conueniunt) quæ formaliter sunt veræ, & reales perfectiones in Deo; qua ratione predicata negatiua, & quæ solûm per denominatione extrinsecæ de Deo dicuntur; vt esse Dominû creaturarû, esse vnitâ naturæ humanæ, esse immutabile, infinitû, incõprehensibile, ineffabile, esse cognitû, itè creare, gubernare, sanctificare res, & similia, à diuinis attributis excluduntur; nõ autè cognoscere, & velle res creatas, neque puidere, & prædestinare, vt dixit Molina loco cit. nisi hoc sensu, quod cũ actus solû speciales diuinorû attributorû positiuorum nimirum intellectus & voluntatis diuinæ significant, non vendicent sibi proprium ac peculiarem inter attributa diuina locû; alias enim formaliter etiâ perfectione aliquâ diuinâ significare disp. seq. videbimus; neq. etiam negat Molina.

Atque hac ipsa notione & vsu nominis, Theologi communitè ad ratione attributi diuini requirunt vt sit perfectio simpliciter, & nõ respõdeat perfectionib. essentialibus substantia creatæ sed accidentalib. vt videre est apud Henricû Quodlib. 5. q. 1. & in sum. a. 32. q. 1. Richardû in 1. d. 36. a. 2. q. 6. Scotû in 1. d. 8. q. 3. vel 4. Durandû d. 2. q. 3. n. 6. & 8. Aureolû d. 8. q. 3. a. 2. & d. 43. q. vn. a. 1. Capreolû in 1. d. 8. q. 4. & alios. Addunt Henric. Durand. & quidâ alij etiâ hanc conditione, vt sit perfectio secundû ratione analogicâ communis Deo & creaturis; sed quæ à Richardo, Aureolo, Capreolo, & recentiorib. communitè, ac meritò rejicitur; cur. n. potètia poti. quàm omnipotètia sit attributum Dei?

Hoc autè loco de attributis diuinis iuxtà secundâ acceptione potissimû sermo est; eodq. etiâ sèsu nos ipsi hoc loco ea voce vtremur; nisi vbi speciatim aliud monebimus: vt vel latius, vel contractius,

pro

prore nata, iuxta primum, aut tertium nominis significatum attributi nomen accipie ndum sit.

4 Hinc verò cū nomen attributi diuini significet aliquid quod per rationem, ac intellectum nostrū Deo attribui potest, & quidem etiā propriē id solū quod secundū rationē nostrā per modū quasi proprietatis diuinā naturā cōsequitur; Colligitur formalē rationē attributi diuini esse per intellectū, sicuti subiectū, prædicatū, genus, species, & similia: vt post Scotū Quodl. q. 5. Argidū in 1. d. 42. p. 1. q. 2. ad 5. rectè cū recentiorib⁹ alijs notauit Vasquez hic dif. 3. n. 7. quia scilicet intellectus noster Deo aliquid attribuit ad modum passionis: licet ratio obiectiua per attributum significata, seu attributum ipsum materialiter acceptum, & de quo etiā ratio formalis attributi denominatiue prædicatur, vtique sit realis (in attributis realibus) & a parte rei existens.

Quod autē ad partitionē diuinorū attributorū attinet, facile itidē ex dictis colligi potest, ea variē diuidi posse, pro variā acceptione nominis attributi. Et omiſſa illa distinctione, qua Nominales circa attributum tria hæc distinguunt. 1. Attributum ipsum, quod dicitur esse ipsum nomen attributi. 2. rationem attribuibile, siue attributale, quam dicunt esse cōceptum formale per nomē significatum. 3. perfectionem attributalem; quā dicunt esse rem significatam per nomen, & expressam per conceptum attributi, siue ipsum conceptum obiectiuum respondentem formali; quam distinctionem auctoribus suis relinquimus: attributum diuinum generatim acceptū, iuxta ea, quæ diximus diuidi potest, primum in absolutum, & relatiuum; absolutum, quod etiam essentialē, vocatur; hoc loco dicitur: quod nullā relationē realē ad intra significat, seu quod ipsi Deo, prout vnus est secundū Essentiā, cōuenit: etiā si fortē significet aliquā relationē rationis. Relatiuū (quod & notionale dicitur) est, quod significat in Deo relationē realē ad intra, vt est paternitas, filio, seu pater, fili⁹, spiratio actiua, passiuā &c. de quib⁹ hoc loco ex instituto non disputatur, vt dictum, sed in materia de Trinitate.

5 Attributa absoluta, de quibus hoc loco ex instituto agim⁹, alia sunt negatiua, quæ formaliter solū negationē significat: qualia tamē in attributis plura nō numerātur, quā necessariū sit ad remouēdā à Deo omne imperfectionē: & vniuersim, numerātur octo: videlicet esse increatū, incorporeū, infinitū, immensum, immutabile, incōprehensibile, inuisibile, ineffabile. Alia sūt affirmatiua, quæ aliquid Deo attribuūt, seu de ipso aliquid affirmant. Hæc rursus aut formaliter solū sunt denominationes extrinsecæ, siue prædicata rationis, significatiua videlicet solū respectū rationis ad creaturas, vt esse Dominū, aut patrē respectu creaturæ, iuxta S. Thomā hic q. 13. a. 7. ad 1. quæ tamē ipsa, vt & cætera, quæ ex tēpore de Deo dicuntur, propriē inter attributa diuina nō solēt recēseri: vt nec à S. Thomā, vel ab alijs inter attributa tractātur. Alia attributa affirmatiua sūt positiua, & realia in ipso Deo, quæ videlicet formaliter positiua aliquā Dei perfectionē significāt: vt esse onipotētē, omniscium &c. in quib⁹ ipsis tamē speciales actus diuinæ mē-

tis inter attributa seorsim nō numerantur: sed cōprehenduntur sub cæteris, seu velut actus earum, seu perfectiones indiuiduæ sub aliqua perfectione & attributo communiore, vt de diuina prouidentia, & prædestinatione dictum.

6 Vtraque attributa diuina, tam negatiua, quā affirmatiua, aut respiciūt ipsā substantiā Dei secundū se, aut aliquā eius operationē: siue vt loquitur S. Thomas hic initio q. 14. aut pertinet ad diuinā substantiā, aut ad operationē ipsius. Posterioris generis sūt intellectus seu sciētia, volūtas, & potētia Dei: quo spectat etiā varij actus diuinæ mētis. Prioris generis sunt alia. Vtriusque generis alia sunt transcendentia, vt esse Vnū, verū, Bonū: alia sunt particularia; eaq; vel cōmunia etiā creaturis, vel Dei propria: quæ tamē cōsideratione, attributa diuina inter se, propriē nō distinguuntur. Cōmunia enim sunt, esse intelligentē, siue sapientē, volentē siue amantē, & potentem ad agendū extra se. Propria verò sunt esse omniscium, onnipotentē, &c. quæ tamen minimē sunt attributa à prioribus distincta; sed rationes tantū explicatiores eorundem: quales in singulis attributis, si prout in Deo sunt, adæquatē aliquo modo spectētur, cōcipi, & formari possūt.

7 Atque hæc partitio attributorū est ex mente S. Thomæ hic q. 3. initio, & q. 13. ad quā etiā ipse suā doctrinā accomodat. Primò enim à q. 3. vbi speciatim de diuinis attributis agere incipit, cōsiderat attributa, & perfectiones Dei secundū se, quæ nō sunt operationes, sed ad substantiā ipsius pertinet, vsq; ad quæst. 11. Secundo q. 12. & 13. Deū, eademq; perfectiones cōsiderat, prout à nobis cognoscuntur, vel nominātur: quo ipso tamē rursus alia duo quædam attributa Dei, quæ à nobis ipsis denominationē habet, explicat; scilicet incōprehensibilitatē & ineffabilitatē Dei. Tertio vsq; ad q. 27. cōsiderat perfectiones Dei constitutas in operatione inmanenti, siue vt loquitur S. Thomā vidimus initio q. 14. quæ pertinet ad operationē ipsius, immantē scilicet & absolutā. Quarto à q. 27. vsq; ad q. 45. agit de perfectionibus & attributis Dei relatiuis, quæ nimirū cōueniūt Deo quatenus Trinus est in personis, ac simul ibidē cōsiderat operationes, quæ sunt productiones intra Deum. Postremo agit de Deo creatore, adeoque de operationibus diuinis productiuis ad extra. Quam distributionē & methodum nos etiam circa initium huius disputationis sequendam proposuimus.

8 Distinctionem verò illā attributorum, seu nomenclaturam diuinorum, in affirmatiua, & negatiua sæpe etiam tradunt SS. Patres, qui idcirco docent, duplicē esse viā, ad Deū, diuināq; perfectiones cognoscendas; vnā per modum negationis, negando scilicet de Deo imperfectiones rerū creaturarum: Secundo per modū affirmationis, tribuendo Deo, seclusa omni imperfectione, quidquid perfectionis est in rebus creatis, vt videre est apud S. Dionysium c. 1. de myst. Theolog. & cap. 2. de cælesti hierarch. S. Aug. in Psalm. 85. & tract. 23. in Ioan. Damascenū lib. 1. fid. orthod. cap. 2. & 4. & alios.

Qui etiam priorē illū modū cognoscendi Deum dicunt esse perfectiorē, nimirū quantū ad notitiæ claritatē, & prædicati proprietatē, cum per eā adæquatē & distinctē cognoscam⁹ prædicatum ipsum,

quod

quod negamus de Deo, idque propriissimè, sine vllâ analogiâ æquiuocatione Deo tribuamus, non ita verò cum aliqd de Deo affirmamus, huius enim prædicati ratione, prout in Deo reperitur, distinctè ac proprio cõceptu nullo modo cognoscim⁹, sed solum quodam conceptu cõmuni, & analogico; quandoquidem de Deo & creaturis nihil cõmune vniuocū prædicare possumus, vt dicitur infra du. 7. & q. 7. Licet interim posterior ille mod⁹ cognoscendi Deū, ex parte obiecti cogniti pfectior sit; cū per eū cognoscatur positiua aliqua perfectio in Deo, priori modo nō ite. Qua de causa etiā hic nō iñ merito simpliciter cõseri potest perfectior, vt indicat etiā Suarez li. 1. de Deo, c. 3. n. 3. ita vt prædicata, siue attributa negatiua nobis quidem apertius, affirmatiua verò secundum se & simpliciter, propius ac perfectius diuinum Esse declarare videantur: id quod satis etiam perspicue docet Gregorius Nazianzenus orat. 2. de Theolog. post initiū. Plura de diuinorū nominum varietate, & modo, quo illa de Deo prædicantur, dicetur infra q. 7. vbi ex instituto de diuinis nominibus agetur.

D V B I V M II.

An attributa diuina tam ab Essentia Dei, quam inter se à parte rei distinguantur?

S. Thom. 1. p. q. 3. a. 6.

Sermo est de attributis diuinis, non relatiuis & notionalibus, sed absolutis ac positiuis. Et supponimus ex cõmuni philosophia, quã ex Durando in 1. d. 2. q. 2. & alijs tradunt etiā Vasquez 1. p. tom. 2. d. 116. c. 5. & Gregorius de Valent. hic q. 13. pun. 3. veluti cõmunè S. Thomæ, & omniū aliorū ante Scotū, duo vniuersim esse distinctionis actualis genera, *Distinctione nimirum realem* latè sumptam, prout cõprehendit omnem eam distinctionem, quæ à parte rei existit, sine operatione intellectus: quam Scotus infra cum suis vocat distinctionem *ex natura rei*: & *distinctionem rationis*, quæ est per solâ operationem intellectus. Realis illa, alia est realis strictè sic dicta, quã distinguuntur aliqua vt res à re; alia est *Modalis*, siue vt Scotus loquitur, *formalis*; et si sæpe formaliter distincta etiã vocentur illa, quæ sola ratione distinguuntur.

Distinctio rationis alia est *rationis ratiocinatae*, quæ habet fundamentum in re; qualis à multis solet assignari inter gradus metaphysicos eiusdem substantiæ indiuiduæ; Alia folius *rationis ratiocinantis*, vbi sola ratio, sine fundamento in re, facit diferimen; qualis cernitur inter definitum, & definitionem; inter Socratem, vt est prædicatum, & vt est subiectum, &c. iuxta ea quæ tradit S. Thomas in 1. dist. 2. q. vn. art. 3. et si Vasquez 1. p. tom. 2. d. 117. c. 3. rejiciat illã distinctionem rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatae; ratus nullam distinctionem rationis carere, fundamento in re; quod est contra cõmunè philosophorum & Theologorū sententiã, vt dictum.

Hoc posito, triplex referri solet Doctorum de proposita quæstione sententiã. Prima cuiusdam Gualteri, & quorundam, nescio an aliorū, apud Nyphum lib. 12. Metaph. disp. 13. c. 3. qui dixe-

runt, attributa diuina ab essentia, & inter se distinguuntur realiter, nimirum vt communiter intelligi solet, etiam strictè. Fundamentum erat: quia quæcūque distinguuntur prædicamētis diuersis, aut etiã genere, vel specie, distinguuntur realiter: talia verò sunt attributa diuina, siue cum Essentia, siue inter se conferantur: Ergo, &c.

Secunda sententiã est, attributa diuina inter se, & ab essentia diuina distinguuntur ante omnem operationem intellectus, non quidem realiter strictè; sed ex natura rei formaliter. Ita Scotus in 1. d. 8. q. 3. & omnes ferè Scotistæ, nominatim Lychet⁹, & Baragi⁹ ibidè, Bassolis in 1. d. 2. q. 3. a. 2. & q. 4. a. 2. & 3. Nicolaus de Nyffe tract. 1. p. 3. Guilielm⁹ Vorilong. in 1. d. 8. q. vn. a. 2. Franciscus Mayron d. 8. q. 3. 5. & 7. Petrus de Aquila q. 4. & 5.

Et quamuis Guilielm⁹ de Rubion in 1. d. 8. q. 3. a. 2. & Iauellus lib. 12. Metaph. q. 19. a. 3. interpretari conentur Scotū, quasi nō senserit, dari distinctione actualè diuinorū attributorū inter se, & ab Essentia diuina, ante omnem operationem intellectus, sed tantum virtualè, id tamen post Gregoriū Ariminensem in 1. d. 8. q. 1. a. 1. cõmuniter ac merito refellunt alij; sunt enim verba ipsius satis clara. Sic enim loquitur loc. cit. *Ad quæstionem respondeo, & dico, quod inter perfectiones essentielles non est tantū differentia rationis: hoc est, diuersorū modorū concipiendi idè obiectū formale; talis enim distinctio est inter sapiens & sapientiam; & vtiq; maior inter sapientiam & veritatem: nec est ibi tantū distinctio obiectorū formalis in intellectu; quia vt arguitur est prius, illa nunquam est in cognitione intuitiua, nisi sit in obiecto intuitiue cognito &c. Est ergo ibi distinctio tertia, præcedens intellectui omni modo; & est ista, quod sapientia est in re, ex natura rei, & bonitas est in re, ex natura rei, sapientia autem in re formaliter non est bonitas in re. Ita Scotus; qui proinde etiã has ppositiones defendebat, Deitas nō est sua bonitas, aut sapientia ex natura rei, & ante intellectum; et si negaret hæc, Deus non est sua bonitas, &c. quem eodem sensu sequuntur Scotistæ superius citati.*

Tertia sententiã est, attributa diuina inter se, & ab essentia diuina non nisi ratione distinguuntur. Hæc est cõmuni Theologorum, quos mox citabimus.

Afferri I. Attributa diuina inter se, vel ab Essentia diuina nō distinguuntur realiter strictè. Ita habet consensus cõmunis Doctorum, vix vnò obscuri nominis scriptore excepto, vt dictū, q respectu totius multitudinis, p nihilo haberi potest. Estque assertio de fide certa, adeò vt Suarez 1. p. lib. 1. de Deo c. 10. oppositã dicat esse *hereticã, & contra omnem ratione*. Et probatur à fortiori omnib⁹ ijs argumentis, quæ pro sequenti assertione afferentur. Ratio specialis esse potest. Quia si, attributa diuina inter se, & ab essentia diuina realiter distinguerentur, tunc aut essent in Deo plures substantiæ absolute cõpletæ, quarū vna nō esset alia; aut certe essent in Deo vera accidētia realia, ab entitate substantiæ diuinæ realiter distincta: cõsequens est impossibile: Ergo. Maior probatur. Quia singula attributa, quæ dicuntur inter se, & ab essentia diuina realiter distincta; cū sint absolute quædã, & cõpletæ entitates, & nō modi solū intrinseci, & transcendentales; qua de causã etiam ab illis authoribus in prædicamentis collocantur; aut erunt essentialiter

substan-